

172519

67

FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ALMA AC PERANTIQUA VNIVERSI-  
TATE ERFORDIENSI

DECANVS,  
JOH. HENRICVS  
Weier, JCTVS,

ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIAR. DECRE-  
TAL. PROF. PVBL. VNIVERSIT. SENIOR,  
NEC NON JVDIC. PROVINC.  
ASSESS. PRIMAR.

LECTORI BENEVOLO

S. & O.

---

ERFORDIÆ,

TYPIS GROSCHIANIS, ACAD. TYPOGR.





**U**nionem, quæ inducitur honestâ consociatæ multitudinis conspiratione, civilem nuncupant societatem, qui autem eandem inierunt, obligatione invicem devinciuntur ad ejusdem observantiam, quod inter omnes placuit; etenim hæc sanctio societatis est fundamentalis, primitiva atque naturalis, quâ omnes, qui eam sunt amplexi, tanquam communi sponfione tenentur, nonmodò ad ea, quæ Civitas sibi constituit, sed etiam, quæ naturali gentium jure requiruntur. Quamvis id de Civitatibus & Rebuspubl. sit admittendum, hanc posse pro usu communi subjectos obligare; de Magistratibus tamen inferioribus, superiore potestate ordinatis, ac si & hisce competat potestas obligandi cives, eorum Jurisdictioni obnoxios, sub prætextu etiam municipalis emolumenti, affirmari non debet,

bet, neque congruit, naturali, Gentiumvé juri, secundum cuius normam absque proprio facto, vel consensu quem per alium obligari, planè inconueniens aestimatur; nedum id Romanorum Jure absolutè probetur, quin magè abhorret quouis modò temerariam alterius rei immixtionem, ut omnimodè incrementum litium supprimatur, adèd, ut ne liceat quidem stipulando, vel quocunque alio conventionis genere alteri, cuius negotia nulla ratione ad paciscentem pertinent, cavere sec. *§. ult. l. 73. ff. de R. I. A. junct. l. 33. ff. de pact. l. 10. ff. de pact. dotal.* obligationes enim cum ex nostro contractu originem trahunt, ex nostra persona initium sumere quoque oportet. *l. ii. ff. de O. & A. l. 38. §. seq. ff. de V. O.* nisi iste alter juris fictione idem sit cum paciscente, uti qui existunt in potestate, qui & domino ac patri, quemadmodum hi istis rectè stipulantur, *l. 39. ff. de V. O.* nec non quivis heredi suo. *l. 17. in fin. & l. seq. 18. ff. de pact.* Perdunt quoque officium priores leges ob necessitatem officii in tutoribus, Curatoribus & negotiorum gestoribus *l. 5. §. 9. ff. de pecun. constit.* quorsum spectat etiam casus de tabellione in *§. 3. Inst. de adoption.* Multo minùs permissum, alterum absque ejus con-

sensu obligare, tanta enim in municipiis data non est Administratoribus potestas, quod possint contractu cum aliis inuito municipales, sine horum adhibito assensu, obligare; alias obligatio hoc casu tantummodo ex renascitur, puta, probata actuali in rem versione. Hoc jus singulare Civitatibus ex *l. 27. ff. de R. C. indulrum* extensum legitur in *Novell. 120, cap. 6. §. fin. ad Ecclesiam*; ut, si Prælati mutuo sumserit, nomine monasterii, grandem pecuniæ numeratæ summam, Capitulo canonicè non requisito, post ejus obitum, heredibus solvendo non existentibus, hoc non teneatur, nisi quatenus in rem esse versum probaverit creditor. Restringunt tamen Interpretes dispositionem *cit. l. 27. ad mutuum pecuniæ in specie*; quod fusiùs & solidè pro Cathedra persecutus est

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DOMINVS

**GEORG ADOLPH KÜRTZEL,**

qui (ut pro more Ejus originem atatisque progressum delibemus) in lucem editus est Anno Millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo in Metropoli ista Saxoniae, Dresdæ, Parentes natus **GEORGIUM ADAMVM KÜRTZEL,** cui cura

vinca-

vinearum ad Augustissimum Regem spectantium in tractu Electorali sitarum concedita fuit; & ANNAM MARIAM è BYRCKHARDORVM gente ortam, quæ gens apud Helvetos viget. Hi optimi parentes in filio ritè educando omnem adhibuerunt sollicitudinem, quippe ipsum in Schola Torgaviensi sub Moderamine Celebrissimi STEINBRECHERI, eo tempore Rectoris istius ludi meritissimi, & FECKNONIS, Con-Rectoris dignissimi, principiis Christianismi atque literarum humaniorum, quarum fundamenta domestici jam tradiderant Præceptores, ulterius inbuendum curarunt. Patre verò immaturâ morte ipsi erepto, consilio quorundam Mecænatum & jussu Matris concessit ad insigne istud Athenæum Grimmense, ubi doctrinâ frui licuit Clarissimi & optimè meriti Dn. ERMELII, Rectoris; SCHVMACHERI, Con-Rectoris, multis quoque meritis conspicui; EGENOLFI, Collegæ Tertii, multis laudibus efferendi, & JACOBI, Cantoris; Expertus est pariter prolixissimum erga se affectum Consultissimi WENDII, redituum Præfecturæ Scholasticæ & Justitiæ ibidem Præfecti. Quumque in hoc ipso Athenæo emensus esset quatuor annorum spatium, studiorum-

que ejus Moderatores ipsum dignum judicave-  
runt, qui Academica aggredere studia, appro-  
pinquante Anno Millesimo septingentesimo deci-  
mo sexto studia Academica Lipsiæ pertractare è  
re esse duxit: In quibus pertractandis eâ ince-  
sit viâ, ut & Philosophorum, & Jctorum scho-  
las frequentandas esse statuerit. Cursum ita-  
que Philosophicum, manucente viro Præcla-  
rissimo M. JOH. DANIELE KIESLINGIO, Philos.  
Facult. Assess. postmodum Sereniss. Principum  
Goth. Sax. Informat. jam piè defuncto, excu-  
sit, cujus solida doctrina, insignis animi candor  
& indefessum studium multum ipsi attulit emo-  
lumentum. In Jurisprudentiæ studio duces secu-  
tus est Illustris ac Magnificus Jctorum Li-  
psiensium Præsides, LVDERVM MENCKENIUM  
& beatè defunctum D. JOH. CHRISTOPH. SCHA-  
CHERYM, Juris Antecessorem Celeber. ac Excel-  
lentissimum JOAN. FRID. OLEARIUM, Jctum  
immortalibus meritis pro salute Candidati  
conspicuum, & denique D. GOTTLIEB WILH.  
DINCKLERVM, Jur. Sax. Prof. Ordinarium, quo-  
rum singulorum doctrinâ & privatâ & publicâ  
fruendo ea, quæ & ad Theoriam & Praxin Ju-  
ris addiscendam faciunt, feliciter hausit. Abso-  
lutis



litis studiis Academicis, operâ sua Clientibus in foro inservire, allaboravit; Ao. 1720. profectus suos in Examine, quòd ex præscripto legum Saxonicar. ad Praxin applicantibus subeundum, Illustri Jctorum Vitembergensium Ordini explorandos submitit, & ab Eodem luculentum obtinuit commendatitium eruditionis testimonium, cujus intuitu promptius consuetâ confirmatione Regiâ inter Advocatos Saxonicos receptus est. Nec dissimulare potest, plurimis in Judiciis Saxonis casarum civilium & criminalium pertractandarum ansam ipsi suppeditatam, successumque plerumque secundum, aspirante divini Numinis gratiâ, expertum fuisse; Cujus singulari fiducia commotus animum induxit, præter laudatum Vitembergense ad praxin promotorium, adhuc publicum cum dignitate sibi quærere Academicum testimonium, quâ honestâ intentione nostram accessit Facultatem enim petens, quò confestim præfiniretur tempus rigoroso examini subeundo; lubens indulgit noster Ordo atque ex Jure Canonico *cap. Exhibita. 19. X. de Judic. & Jure Civili L. Si cum. 22. ff. de except. rei judicat.* ipsi elaborandos communicavit binos textus, quos oretenus fusè &  
eru-

eruditè explicuit atque examen felici sustinuit  
succellu, ut consentientibus & applaudentibus  
Promotoribus sit non modò relatus in album  
Candidatorum, sed ei quoque permissum est,  
publice superaddere specimina, quorum Lectio-  
nem Cursoriam est auspicaturus ad suprà dict.  
*L. 27. ff. de Reb. Credit.* Disputationem verò in-  
auguralem: DE NOMINATIONE AVTORIS IN  
CRIMINALIBVS. Hisce solennibus itaque actibus,  
ut maxime reverendus, Generos. atque Magnif.  
Dn. Universitatis Rector cum Proceribus & Ju-  
risprudentiæ strenuis cultoribus die 24. Dec.  
hujus anni & quidem consuetis horis in Audi-  
tor. Jur. Coll. major. præsto esse dignentur offi-  
ciosè & amicè invitantur. Publ. sub Sigill. Fa-  
cult. Jurid. 23. dict. mens. ann. 1725.

L.S.



Erfurt, Diss., 1725-26


ULB Halle  
005 367 786

3



VD18





172519

FACULTATIS JURIDICÆ  
IN ALMA AC PERANTIQUA VNIVERSI-  
TATE ERFORDIENSI  
DECANVS,  
JOH. HENRICVS  
Sæier, JCVS,  
ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIAR. DECRE-  
TAL. PROF. PVBL. VNIVERSIT. SENIOR,  
NEC NON JVDIC. PROVINC.  
ASSESS. PRIMAR.

LECTORI BENEVOLO

S. & O.

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS GROSCHIANIS, ACAD. TYPOGR.